MARTIUS NICOLAUS ALOYSIUS

# MALVANI

*ab Annexio*

## Ut Philosophiae et Medicinae Doctor

CREARETUR

*In R. Taurinensi Athenaeo*

ANNO MDCCCXXXIX
DIE XXXI MAII HORA XI MAT.

Taurini, ex Typographia Ioseph Fodratti.

X.

# EX MEDICINA THEORICO-PRACTICA

## DE NEUROSIBUS SINGILLATIM

AC POTISSIMUM

## DE POLYOREXIA, POLYDIPSIA, PICA, LAGNIAE SPECIEBUS SATYRIASI AC HYSTEROCNESMO

### I.

Hyperepithymiarum in censum referenda polyorexia seu appetitus excedens (polyorexia, πολὺσ et ὀρεξισ), qui ciborum desiderio non reprimendo, assumtione avida, deglutione praecipite, ardueque obtinenda saturatione quoque se prodit. Inde *voracitas*, *polyphagia* audit. Debilitati iuncta et esculentis cito non composita lypothimiam inducens *bulimia* sive *bulimus* a βου et λιμοσ proprie vocatur; cum celeri ingurgitatorum vomitu *cynorexia*, fames canina; cum citata illorum per anum expulsione *lycorexia*, fames lupina audit.

### II.

Dispositionem in polyorexiam saepe consuetudo prava, nonnumquam vitia formationis et organica v. gr. ductus choledochus in ventriculum hians, ventriculus aut pylorus incrassatus, induratus, aut angustatus, hicce dilatatus aut relaxatus; quandoque peculiaris systematis nervosi aut in specie nervorum ventriculi dysphoria, quemadmodum in nevrosibus acutis et chronicis: febribus nervosis, hysteria, hypochondriasi, melancholia, nec non in febribus quartanis, et graviditate, suppeditant.

### III.

Caussae excitantes sunt: succi gastrici acrimonia acida aut alia, bilis immediate in ventriculum stillans, amarorum et condimentorum aromaticorum abusus, vermes, potentiae variae stomachum modo idiopathico aut sympathico admodum irritantes, exanthematum chronicorum, arthritidis etc. suppressio.

### IV.

Prognoseos rationalis praecipua momenta ex morborum principalium indole et aegrorum conditione ducuntur: quibus addatur, polyorexiam in febribus acutis rarius inter bona quam mala symptomata animadverti; in febribus quartanis uti signum pertinaciae esse, ita facillime ansam exasperationibus et complicationibus gastricis et recidivis suppeditare; bulimiam per iterata animi deliquia, cynorexiam per vomitiones, lycorexiam per lienteriam, debilitatem, cachexiam, tabem periculosas et imo lethales evadere posse.

### V.

Curatio, ut ut dispositione et caussa occasionali, nec non morbo principe activo, inflammatorio vel passivo, nervoso, materiali vel dynamico rite investigatis et pensitatis determinatu plerumque facilis sit, saepe tamen, v. gr. vitiis organicis ventriculi obtinentibus, vix nisi mali, lenimen valet inferre. Nimia generatim ventriculi sensilitas ac irritabilitas, cum vel absque debilitate universali et vomitu vel diarrhoea, sedantibus praesertim opio, mucilaginosis emulsis, oleosis blandis, additis pro re nata tonicis, victu facile digerendo, pauco, frequentius sumto componenda est; pylori atonia et dilatatio adstringentibus pedetentim profliganda; ventriculi acidum magnesia, lapidibus cancrorum etc. amaricantibus, amaro-aromaticis est emendandum, et, ne regeneretur, praevertendum; vermes expellendi; impetigines suppressae revocandae, arthritis anomala ad normam reducenda.

Morbo feliciter sublato, ut omni in convalescentia, polyorexiae praepediatur recidiva, et superstites successive tollantur effectus, satagendum. Quem in finem non caussarum modo fuga et therapia congrua, sed diaeta etiam prudenter definienda, et summa in ciborum concessorum quantitate, temperantia maxime requiruntur.

## *Pica.*

### VI.

Pica (kitta Linn., allotriophagia Vog. ab αλλοτριον peregrinum, insolitum, et φαγω edo); morbosa est vel unius solum ciborum generis (kitta), vel insolitorum plerumque non nutrientium (malacia), uti cretae, calcis, carbonum, coffeae tostae etc., vel nauseosorum imo et detestabilium, uti aranearum, pilorum etc. adpetentia, cum aut absque aliorum aversione.

### VII.

Picae semper symptomaticae, ratio proxima vel *a)* in sensibilitatis ventriculi aut totius systematis nervosi aberratione, quemadmodum in chlorosi, hysteria, graviditate, vel *b)* in depravata imaginatione, ut in mania, nec non perversa ex consuetudine, vel *c)* in sensatione ventriculi depravata ab heterogenei cuiusdam in eo contenti seu forinsecus illati seu ibidem generati impressione invenitur, ut a saburrae acidae, biliosae, pituitosae, verminosae actione quandoque et prae scorbuto. Sequiori frequentius quam potiori infensa est sexui haec aegritudo.

### VIII.

Durationem, exitum picae varium aeque ac prognosim spectantia a morbis protopathicis eruenda. Pica in gravidis, nisi tertio quartove mense, raro ante partum cessat. In chloroticis, hystericis notabili cum morbi principis imminutione evanescere solet. In mania saepe invincibilis. In febribus acutis non raro periculi index est, gravem systematis nervosi noxam prodendo.

### IX.

Therapia in morbos potiores eorumque caussas dirigatur, oportet. In malis chronicis in animum quoque medici opus convertatur, aegros de noxia eorum, quae vehementer adpetunt, in sanitatem efficacia convincendo, et ad abstinentiam serio persuadendo. Tentamine irrito nullaque obstante contraindicatione, pharmaca nauseam, ad vomitum ipsum vel diarrhoeam provocantia rebus ab aegro anxie quaesitis, si noxiae fuerint, dosibus cauto prorsus definitis clanculum addere expedit.

In convalescentibus, ne in priorem relabantur consuetudinem, maxime adlaborandum.

## *Polydipsia.*

### X.

Polydipsia (a πολὺς, multus et δίψα, sitis), desiderium poculentorum est inexplebile, constans, vel debito frequentius recurrens.

Mere symptomatica a morbis proficiscitur, in quibus vel *a*) humorum serosorum ac seroso-mucosorum dispendia aut effusiones de necessaria vehementer monent compensatione: in hydrope, diabete, sudore, diarrhoea, haemorrhagiis, vel *b*) morbosa nervosi systematis aut pharyngis modo et ventriculi nervorum incitatio fluidorum ope exposcit leniri, ut in febribus, inflammationibus, doloribus quibusvis vehementibus diu perstantibus, in primarum viarum ab ingestis salibus, aromatibus, venenis acribus, a saburris biliosis etc. irritatione.

Ex quibus de indole, duratione, terminatione, caussis, effectibus, gravitate polydipsiae scitu necessaria sponte fluunt.

Therapia radicalis apto morborum potiorum memoratorum atque caussarum notione innititur; palliativa sedulo poculentorum aquosorum, mucilaginoso-acidulorum haustu, et collutoriorum similium, lotionum, fotuum, balneorum usu, absolvitur.

## *Satyriasis, hysterocnesmus.*

### XI.

Instinctus sexualis immodicus per effrenem concubitus cupiditatem, rationem et voluntatem intercipientem se prodens, in viris *satyriasis* (*hyperorgosis* Sw., *salacitas inexplebilis*), in foeminis *nymphomania* (*furor uterinus, hysteromania, hysterocnesmus, machlosyne* Sw.) appellatur.

Satyriasis libidinosa colis erectione, frequentiore aut solito maiore, nonnumquam molesta dydimorum tensione; - nymphomania pruritu vehemente, calore ac tumore pudendorum, et iugi haec contrectandi propensione stipatur; utraque cum inquietudine, flagrante amplexuum cupidine, pulsu et respiratione citatioribus, humorum orgasmo, siti, agrypnia, et redeunte per vices animi deiectione incedit, quae ad intensissimum evecta gradum et non sedata in pudoris neglectum, vesa-

niam, imo maniam abit. Utraque statum chronicum frequentius quam acutum et plerumque symptomaticum offert.

XII.

Mali huius effectus multiplicem functionum tum corporis tum mentis laesionem exhibent, quales sunt: sensuum hallucinationes, agrypnia aut insomnia continua, amnesia, amentia, deliria, mania, tremor, spasmus, convulsio, dysorexia, dyspepsia, alvi retentio, macies, sudor olidus, pollutiones, tabes nervosa, dorsalis.

XIII.

Prona in hunc morbum sunt subiecta irritabilia, nevrosibus variis, praesertim hypochondriasi, hysteria vel nimia genitalium irritabilitate, plethora, clitoride praegrandi et valde sensibili etc. laborantia, rationis simul lumine et firmo voluntatis imperio destituta. Momenta excitantia tam corporea sunt quam psychica. Ad priora spectant, partium genitalium aut organorum uropoieticorum, imo intestini recti irritatio vel inflammatio idiopathica aut sympathica, inducta per onaniam, virus syphiliticum, ascarides vermiculares in intestino recto nidulantes, aut in ipsam prorepentes vaginam, calculos urinales, diureticorum praecipue acrium et resinosorum sicut aphrodisiacorum abusum, lotium acre congestum, quantitatem et qualitatem seminis peccantem sub vita lauta et otiosa a copiosore seminis secretione ex arteriis spermaticis solito maioribus aut pluribus, a coitus frequentis et consueti interceptione, per sanguinis in utero, ovariis, vasis haemorrhoidalibus congestionem, saburras gastricas irritantes, herpetem, lepram et elephantiasim. Psychica sunt: incitatio libidinis nimia, frequens per amorem frustratum aut occultum, imaginationem lascivam, lectionem librorum, intuitiones picturarum vel obiectorum et scenarum, auditum colloquiorum lascivorum, per insomnia lubrica, per maniam, in qua sicut in hydrophobia, hysteria aliisque nevrosibus instinctus sexualis excessus quandoque occurrit symptomaticus.

XIV.

Cum satyriasis et nymphomania morborum acutorum et chronicorum symptomata potius quam morbos sistant substantivos, ab illis potissimum phaenomena utrique sociata, decursus, duratio, exitus varii non minus ac prognosis et medela fluunt.

## XV.

In therapia facienda praecipua caussarum excitantium ac morborum protopathicorum auferendorum ratio habeatur. Quare onaniae deditus severae curationi psychicae submittatur; urethritis syphilitica, irritatio a vermibus, calculis urinalibus, saburris gastricis, plethora, haemorrhoidibus etc. iuxta praecepta tollantur, victus nimium lautus exulet; corpus ad virium defatigationem usque exerceatur, intendatur; imaginum et obiectorum cupidinem incitantium, vini potuumque spirituosorum omnium fuga etc. praecipiatur. Methodus simul palliativa in orgasmum componendum et sensibilitatem ac irritabilitatem genitalium obtundendam una iungatur, in congruo antiphlogisticorum diluentium, temperantium aut solorum aut camphorae simul dosibus maioribus specifice ferme commendatae nuptorum, externe in frigidorum et refrigerantium ad genitalia, lumbos, os sacrum adhibendorum usu contineatur. Camphorae grana tria ad sex cum nitri granis decem, aliquot per diem vicibus porrecta egregias saepe vires exerunt. Diaeta hisce consona sit; regimen autem, mentis in specie, semper magnam, aliquando principem therapiae partem efficiens, versetur in animo recreando et oblectamentis, in benevolorum amicorum prudentium consortio, in imaginationis et intellectus exercitio circa res momentosas, ac negotia alia, in animi adfectibus instinctui effreni oppositis excitandis: metu, tristitia, moerore etc. provocandis, denique in institutionibus moralibus ad rationis lumen revocandum, ac voluntatis victae, infirmae potestatem excitandam, roborandam idoneis.

Convalescentiae auxilia generalibus indicationibus ac praeceptis innituntur.

XIII.

# EX MATERIE MEDICA

## DE ASA FOETIDA.

I.

Asa foetida gummi resina est, quae lactis instar e radice Ferulae Asae foetidae L. in Persia, et in Indiis crescentis uberrime extillat, vel arte exprimitur; caloris autem solaris vi in massam siccam concrescit.

II.

Extant in officinis eius frusta variae magnitudinis, et formae, coloris fusci, flaventis, pallide rubentis, vel coerulescentis, albidis granis interspersa, foetidissimum et sui generis odorem cum allii odore

*Malvani*

coniunctum spirantia. Sapor Asae foetidae amarus et subacris est, vetustate eius efficacia cum odore evanescit. Sagapeno, Gummi ammoniaco, aliisque gummi resinis aut resinis ea interdum adulteratur.

III.

Pertinet autem Ferula Asa foetida L. ad Pentandriam digyniam, et ad familiam Umbelliferarum. Sprengelius in historia rei herbariae plantam quae Asam foetidam praebet anno 617 ante aeram vulgarem ab Aristaeo detectam fuisse scribit. Ex Fischero Ferula Persica W. Asam foetidam etiam praebet.

IV.

Praeter Neumannum, Charteuserum et Trommsdorffium ad analysim chemicam Asam foetidam perduxit Pelletierius, qui ex quinquaginta eius granis obtinuit resinae 32, 50; olei volatilis, ex quo Asae foetidae odor et acritas oriuntur, tum et fortasse praecipua eius virtus, 1, 80; gummi 9, 72; bassorinae 5, 83; malatis calcis, et principiorum inter analysim evanidorum 0, 15. In Asa foetida praeterea aluminam, phosphori vestigia, et materiem resinosam invenit Brandes, sulphuris insuper praesentiam demonstravit Zeisc.

V.

In complurium morborum, et praesertim nervosorum curatione nullo non tempore a medicis adhibita est Asa foetida: facultatem electivam suam in nerveum systema potissimum exercet, eamque stimulantem.

VI.

Quamobrem in hysteria, hypocondriasi, aliisque huiusmodi affectionibus, ubi neque morbi neque aegri natura incitantis remedii usus excluditur iuverit ad Asam foetidam confugere.

VII.

In neuralgiis proficuam esse auctores tradunt. In tussi convulsiva

optime cessisse gummi arabici mucilagine et syrupo emulsam Kok observationes ostendunt.

VIII.

Habemus ex Carminati exempla asthmatis spasmodici, gravissimi diu multumque ceteris medicamentis reluctantis, mira promptitudine Asae foetidae ope omnino sanati. Neque desunt qui Asae foetidae virtutem tribuant emmenagogam, atque in amenorrhoea utilem deprehenderint.

IX.

Vermes ab Asa foetida saepe fugari clinicorum probant observationes, atque varias massas pillulares anthelminthicas, in quibus Asa foetida purgantibus fuit adsociata, legere est apud Hoffmannum, Wolffium, Rosensteinium.

X.

Magni autem a clinicis facta est Asa foetida in carie ossium; atque in gangraena nosocomiali feliciter etiam adhibita fuit.

XI.

Apud Persas succus Asae foetidae recens efficax habetur ex Kaempfero ad consolidanda vulnera, nec minori in pretio habetur siccus in aliis morbis curandis, eiusdemque usus tamquam ciborum condimentum satis frequens apud eos est.

XII.

Quamobrem vel cum oleribus coniungunt, vel vasa eo perfricant, in quibus cibos coquunt. Mirari autem subest foetidissimam gummi resinam, quam Germani *stercus diaboli* dixerunt, Deorum alimentum in Oriente vocatam fuisse.

XIII.

Praescribitur Asa foetida a gr. v. ad xij ter quaterve in die saepe sub forma pilularum. Eadem in mortario vitreo trita cum ovi vitello, super-

addita aqua, emulsionis speciem praebet, quae ob ingratum saporem odoremque raro aegrotantibus propinatur. Saepius autem pro clysteribus usu venit in affectionibus hystericis, verminosis, etc.

## XIV.

Tinctura Asae foetidae alkoolica a gut. x ad ʒj in opportuno vehiculo praescribitur.

## XV.

Pilulae Richteri, et Pilulae benedictae Fulleri Pharmacopoeae Taurinensis Asam foetidam continent.

X V.

# EX HYGIENE

## USUS CIBORUM

I.

In disquisitione positum est, utrum natura hominem carnivorum fecerit, an frugivorum. Nos non quaeramus, quid philosophi docuerint: quaeramus potius, quid natura proponat. Structura hominis ea est, quae inter carnivora, et frugivora medium, ideoque utrique victui comparatum ostendat. Scire licet, animantia carnivora maiorem dentium numerum, et breviora intestina exhibere, quam frugivora.

II.

Tametsi victus animalis necessarius habeatur, non tamen reticendum est, frequentem esse carnium abusum.

III.

Observatio docet, hominem melius habere, si victum animalem cum vegetali commisceat, aut alternet. Interea monemus plerumque utile fore, ut vegetalis animali praepolleat. Unum alimenti genus, praesertim si in ipso perseveretur, utile non est. Ventriculus enim eodem semper stimulo affectus, sensim minus incitaretur. Verum multo frequentius contrariam ob caussam peccatur.

*Malvani*

IV.

Alimenta eo primum respiciunt, ut iacturas reparent: simul vero agere debent cum vi incitante, tum massa. Quo uberiores sunt iacturae, eo maior esse debet copia alimentorum, saltem principiorum nutrientium.

V.

Prima fronte videri posset, satius esse uti alimentis plurimum nutrientibus: nam minor massa exposcitur, ideoque minor ventriculo labor incumbit. Quod tamen omni ex parte concedi non potest. Alimenta non solum nutriunt, sed ventriculum incitant: partim autem sua incitant mole; organa vero moderato exercitio vires adipiscuntur. Qui itaque valido ventriculo donantur, uti debent alimentis modice nutrientibus: iis nempe, quae opportunum nutritiorum principiorum sub maiori massa contineant.

VI.

Quod vero attinet ad vim incitantem (dynamicam et non mechanicam) providendum ita est, ut neque nimis incitantia, neque insipida in usum ducantur.

VII.

De diaeta maxime dissident Celsus, atque Cornarius. Latinus lautiorem diaetam prope ad intemperantiam accedentem proponit: Venetus parcissimam imperat. Sententias componere labor non fuerit. Celsus fingit hominem sanum, ac bene valentem; alter tenui utentem valetudine.

VIII.

Gustus nos edocet, quaenam esse debeat indoles alimentorum. Profecto qui infirmo sunt corpore, in ea feruntur, quae abunde nutriunt, et incitant. Ex adverso qui robore praestant, durioribus cibis delectantur. Prima aetas actuosa eget nutritione: nam non solum iacturas debet resarcire, at praeterea corporis incremento prospicere; et simul maxima mobilitate donatur; idcirco eget alimentis, quae satis nutriant, et modice exstimulent.

IX.

Fames nos edocet quantitatem ciborum, partim quoque naturam. Ubi enim ventriculus eam recepit alimentorum copiam, quae iacturas reparare valeat, fames conquiescit: imo si quis in assumendo cibo per-

severare velit, mox satietas subsequitur. Si utamur cibis magis nutrientibus, citius fames desinit.

X.

Si homo instinctum sequeretur, et ab omni absuetudine caveret, quam vel antecaptae opiniones, vel caecae cupiditates inducere parant, vix unquam aegrotaret, atque morbus facile sanaret. Sed a natura desciscens, ita se commutat, ut instinctum propemodum aboleat.

XI.

Expedit monere, naturam ipsam nos ad quaedam per aetatum successionem molienda perducere. Sed hic dum adsuetudinem dicimus, id intelligimus, quod nos contra naturae vota in nostram vivendi rationem inducimus.

XII.

In civili societate aliqua norma esse debet. Si omnes proprium instinctum sequerentur, publicus ordo perturbaretur. Etiam in societate domestica, quae multo magis circumscripta est, omnes communem quadantenus vitae rationem servare debent.

XIII.

Permultae sunt adsuetudines, quae nulla ratione sunt necessariae; a quibus cavendum sedulo est.

XIV.

At vero si iam contractae fuerint, an abrumpendae? Subito abrumpere leve negotium non est; et si abrumpantur, valetudo perturbatur. In id adlaborandum, ut sensim temperentur.

XV.

Quod late interpretandum est. Sunt enim adsuetudines, quas confestim cessare extremae necessitatis est.

V. ex deleg. D. D. Archiep.
FANTOLINI.

V. E. GILLIO Praes.
V. BERTINI a Cons.

*Imprimatur.*
OSASCO Moderator.